



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Gregorivs Thavmatvrgvs Ep. 17. Novembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

tentavit dormienti. Itaque à mediâ semper nocte  
 AVRORAM MARIAM veneratus, tum demum sa-  
 cra volumina ante eburneam illius imaginem le-  
 ctitavit, non nescius ex hujus potissimum uberibus  
 divinæ sapientiæ rivos scaturire. Archiepisc,  
 Cantuariensis factus affirmavit, malle se in ignem,  
 quam in noxam labi. Exul moriturus, MI JESU  
 exclamavit, te testem habeo, te præter nihil un-  
 quam expetisse. Hujus vulnera tunc millies est  
 exosculatus, pectus præsertim saucium, in quod  
 etiam vitam expiravit, nobilem ad invidiam tu-  
 mulum. *Ex vitâ.*

*Si publica fama te non damnat, propria te con-  
 scientia condemnat; quoniam nemo potest seipsum  
 fugere. Vis nunquam esse tristis, BENE VIVIS. Bona  
 vita semper gaudium habet; conscientia reorum  
 semper in penam est. S. Bern. de lat. dom.*

S. GREGORIUS THAVMATVRGVS EP.  
 17. Novembris.

**M**iracula, quæ GREGORIUS patravit, pagellâ  
 hæc circumscribere, novum foret miracu-  
 lum. Famam castissimi juvenis traduxerat mu-  
 liercula; oblecta tamen à dæmone palinodiam  
 cecinit, obsidione non nisi à GREGORIO liberata.  
 Sub initia Pontificatus magistram VIRGINEM  
 MATREM, VIRGINEMQUE IOANNEM habuit, di-  
 gnus his discipulus, utpote & ipse Virgo. Caco-  
 dæmoni oracula loquenti silentium indixit, & falso  
 proscripsit; post eadem ab exilio redeundi potesta-  
 tem per literas fecit. Ut fratres duo, quos lis de  
 paterno lacu disjunxerat, in amicitiam rursum  
 coirent, cedere omnem inde aquam; ut fidem te-  
 stam faceret, temploque edificando locum,  
 mon-

montem aliò ambulare iussit. Iterùm Lyco flu-  
mini exundanti moram posuit scipionem suum  
qui illicò frondescens ripam umbrâ suâ vellivit.  
Insequentis se sociumque hostis oculos ita pre-  
cando fefellit, ut quos impius querebat, arbores  
crederet. Moriturus è suis septemdecim dumtaxat  
reliquit superstitioni deditos, cum sub adventum  
suum non plures Christo addictos reperisset. Tu-  
mulum cum aliis sibi communem esse voluit, ne,  
quod vivus nunquam fecerat, mortuus proprii  
quid haberet. Suspiciant alii hæc mira, ego de  
GREGORIO, quod de Malachia Bernardus, dico:  
inter multa magnaque miracula, maximum mira-  
culum, quod fecit, ipse fuit. *Ex Gregor. Nyss.*

*Si vis utiliter aliquid scire & discere, ama nesciri,  
& pro nihilo reputari. Hæc est altissima & utilissima  
lectio, sui ipsius vera cognitio & despectio. De se ipso  
nihil tenere; & de aliis semper bene & altè sentire  
magna sapientia est.* Thom. de Kemp. lib. I.

S. GREGORIVS TVRON, EPISC.

17. Novembris.

Ille est GREGORIVS, cui nomen infula Turo-  
nensis fecit. Parentes illi è primâ nobilitate,  
nutrices à teneris annis Musæ fuerunt, quibus vi-  
cem ille tam postea rependit, ut nesciam plûsne  
ille Musis, an Musæ illi debeant. Puer vitam,  
quam à patre acceperat, bis eidem reddidit, nec  
sine miraculo, cum medicinam morituro nunc  
nomen IESV ligno inscriptum, nunc alter Tobias  
slices exta adhibuit. Ipse quoties agrotavit (&  
agrotavit sapiuscule) è celo medicos, vel D. Eli-  
gum vel Martinum habuit, cujus vitam rectè in  
ampulorum parietibus, sed multò rectius in anima  
suo